



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

Parisiis, 1644

Vita Clementis Papae VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15644

CLEMENTIS PAPÆ VII. VITA. 591

& apostolica auctoritate decernimus, quod ipsarum transsumptis, manu cuiuscumque notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius curiae, seu personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, in iudicio & alibi, vbi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo pectoris, die vigesima Iulii, millesimo quingentesimo vigesimotertio, pontificatus nostri anno primo.

Euangelista.

VITA

ANNO
CHRISTI
1523.

CLEMENTIS PAPÆ VII.

CLEMENS, cui antea Iulii nomen erat, Juliani Medicei filius, a Leone patruere primum archiepiscopus Florentinus, mox cardinalis creatus, vniuersæ reipublicæ curam suscepit. Qua bene administrata, post Hadriani mortem, cardinalibus Columna, & Cornario fauentibus, pontifex renuntiatus est, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimotertio, decimoquarto Kalendas Decembris, tempore Caroli quinti imperatoris. Tertio pontificatus anno iubileum celebrauit. Post Borbonii a Gallis defectionem, Clemens Caroli potentiam pertimescens, inita prius cum Venetis societate, sese medium inter utrosque constituit, & eorum dissidia componere summo studio conatus est. Columnenses ingentibus coactis copiis instructi ad regnum Neapolis pro Carolo custodendum, adsunt cum Hugone Moncada, ædesque pontificis, nil tale metuentis inuadunt. Is fuga arrepta, in Aeliam arcem se recepit, neque inde egredi ei licuit, quin Columnensis venia promissa, exercitum e Gallia cisalpina reuocandum in se reciperet. Principibus tamen viris intercedentibus, & prorege Lanoio conciliante, ad pacem ventum est, & pontifex omnem exercitum dimittit. Quod vt sensit Borbonius, illico exercitum Cæsaris Romanam admouet, Vrbem contra fidem publicam capit, & diripit miserrime: quod facinus nemo antea Gothorum & Vandalarum temporibus ausus fuerat. Clemens in

Clemens
quando
pontifex
factus?

Clemens
captus.

Roma ca-
pta.

592 CLEMENTIS PAPÆ VII. VITA.

Hadriani arce diu obseßus , ad dditionem compulsus , multoqe ære redemptus , Columnensibus veniam , si quid deliquissent , concessit. Post septem menses liber e custodia euasit ementito habitu , & in urbem Veterem perductus est : inde rursus amicitiam & affinitatem cum Carolo contraxit , quem in Italiam profectum Bononiæ coronauit , cuiusque auxilio Florentiam obſedit ; receptaque , Alexandrum pronepotem ei ducem præposuit. Henricum Angliæ regem excommunicauit , quod coniugem suam Caroli materteram repudiasset. Cum Carolo aliisque principibus Italæ sex mensium foedus iniit. Franciscum regem Massiliæ conuenit , eumque sibi noua affinitate coniunxit. Catharinam enim Medicem prætem suam regis filio natu minori nuptam dedit. Ad Urbem reuersus , literas salutationis a Dauide rege Æthiopiarum , longe disiunctissimo , accepit ; quibus lectis magnam animo lætitiam concepit. Huius temporibus secta Lutheranorum diuisa est in Zuinglianos , Carolstadianos , Lutheranos , Anabaptistas. Habitatis in Heluetia , Hassia & Bohemia conuenientibus disputationibus & colloquiis , vt vocant , synodalibus , frequenter quidem tentatum est , vt concordarentur , sed frustra. Thoma Muntzero auctore , prætextu libertatis euangelicæ , exortum est bellum Rusticanum perniciosissimum. In Spirensibus comitiis permisum fuit vt in fidei & religionis negotio nihil deinceps vsque ad Concilium innouetur. Sectarii se decreto isti subscribere non posse protestati , ad Cæfarem appellarunt , dictique hac de causa Protestantes , confessionem suæ perfidiæ , a Melanchthon Græce & Latine conscriptam , ter quaterve mutatam , in celeberrimis imperii comitiis Augustæ , anno sequenti habitis , obtulerunt. Clemens obiit anno Domini millesimo quingentesimo trigesimoquarto , septimo Kalendas Octobris , cum longo & difficiili morbo antea laborasset , sedissetque annos decem , menses totidem & dies septem.

CONSTI-